

participatione. Glorificatur Deus Spiritus Sanctus, perfectorum intensiori charitate et in usu spiritualium donorum majori fidelitate. — 2° Vita perfectorum laus est potentiae Patris, sapientiae Filii, amoris Spiritus Sancti. Quam mirabilis, quam sapiens, quam bonus est Deus in animabus ad vitam supernaturalem revocandis, in vita supernaturali obfirmandis et suaviter perficiendis! Quam bonus Pater qui Filium suum nobis donavit, quam bonus Filius qui copiose nos redemit, quam bonus Spiritus Sanctus qui ignem charitatis in nobis accendit! Quam felices viri perfecti, qui ut tales, se exhibent continue gratias agentes optimo Patri, misericordii Filio, amantissimo Spiritui Sancto! Beati perfecti, quoniam non tantum tanquam servi ex timore, sed potius tanquam filii Deo peramantissimo Parenti ex charitate placere volunt! Beati perfecti, quoniam non mensurant amorem erga Deum a quo tantum amantur, neque illa tantum praecepta observant ad quae absolute tenentur, sed in omnibus Deo placere volunt ipsique se totos mancipari!

II. *Perfecti efficiuntur praedilecti inter adoptivos filios B. Mariae Virginis.* Quia 1° In iis perfectiorem videt sui Filii imaginem, quam magis magisque in propria anima efformant sanctitatis amatores. — 2° Quia qui sunt magis in charitate solidati, magis diliguntur a Filio, et quos Filius magis diligit, ardentius peramat Mater. — 3° Quia perfecti Mariam multum diligunt, maximeque diligere peroptant: atqui mensura filiationis spiritualis in

charitate praesertim fundatur; ergo ii magis filii qui melius diligunt. Aliunde Maria specialiter benedicit, protegit et in suos recipit qui Filium suum specialiter verbo, opere et veritate peramant. Omnes perfectionis amatores Mariam quaerunt, ut securius ad Christum pervenire valeant, dicentes cum S. Ildelfonso: « Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis! »

III. *Perfecti totam coelestem curiam laetificant.*

— 1° Quia per perfectorum exempla valde adaugetur numerus poenitentium. — 2° Quia continuo aedificant coelestem Hierusalem novos in ea collocantes lapides pretiosos, scilicet seipsos et quos ad poenitentiam revocant et exemplis et precibus, Deo dante Deoque gloriam tribuente. — 3° Quia per ipsos maxime multiplicantur actus charitatis et religionis inter fideles, quae omnia utpote Deum glorificantia pervalde placent et angelis et sanctis, qui suis intercessionibus implorant divinam misericordiam erga homines viatores quos socios vellent ad Deum in aeternum laudandum. — Uno verbo, perfecti sunt Dei cooperatores in justificatione et salute animarum. Ergo, beati qui perfectionis studio alios ad rectam viam vel exemplo vel orationibus reducunt, propriam salutem securiorem reddunt, quoniam misericordiam facilius consequuntur, qui alii tantae misericordiae instrumenta fuerunt! Vide ergo, o Sacerdos, an perfectionis amator existas, ne tibi infructuosum fiat animarum ministerium. O tu, Sacerdos, qui perfectionis viam alios edoces, cave ne in sanctitate sis omnium minimus. Luceas et ardeas!

IV. *Perfecti sunt margaritae et gemmae militantis Ecclesiae.* — 1° Quia sunt praestantissima portio haereditatis Christi in ipsa militanti Ecclesia utpote Deo in charitate conjunctissimi. — 2° Quia ex ipsorum coetu innumeri surrexerunt christiani heroes, quorum memoria est in benedictione. — 3° Quia ex ipsis praecipue efformatur coetus piorum clericorum et religiosorum qui Ecclesiam sanctam Dei ubique terrarum magnificent. — 4° Quia eorum opera, et mirabilia quae in eis Deus operatus est, novum et splendidum constituunt S. Matris Ecclesiae ornamentum perpulchra varietate praeclarum, et notam sanctitatis Ecclesiae practice probant. Ecclesia est enim sancta in Fundatore, sancta in sacramentis, sancta in suis legibus, et sanctos faciens qui illas observant, quod abundanter et libentissime fit a perfectis.

V. *Perfecti sunt magni viatorum benefactores.* — Quia 1° si quilibet justus est misericordiae divinae instrumentum, a fortiori homines perfecti, utpote justus qui quotidie magis justificantur. Omnes justus Deum implorant ut propitiatur pro peccatis nostris, ut parcat populo suo, ut longe faciat a nobis flagella... — 2° Quia (*S. Ecclesia flante et auspicante*) magnis perfectorum charitatis, voluntariae paupertatis et misericordiae virtutibus debentur innumerae prope ex piis Institutionibus ad permulta et corporibus et animabus bona procuranda, nec non ad omnis generis infirmitatis et corporalis afflictionis mala sublevanda fundatis. Unde difficulter invenire poteris

multas humanitatis charitatisque institutiones, quae non sint heroicae vel quasi-heroicae virtutis effectus. Quantum in hujusmodi negotiis potuit et fecit virtus et abnegatio perfectionis studiosorum! Quantum ad hoc fecere magnae illae perfectionis scholae, Religiosa scilicet Instituta!...

VI. *Perfecti sunt terror infernalium potestatum,* quas continuis oppugnant victoriis: sunt destructores imperii tenebrarum, raptosque multorum peccatorum viatorum a luporum pessimorum faucibus: sunt Purgatorii consolatores et multarum animarum ab ejusdem Purgatorii flammis liberatores: sunt coelorum laetitia, terrarum protectio, totiusque naturae decus; splendidissimumque ipsis paratum est regnum in quo fulgebunt sicut stellae principales et lucidissimae inter alios electos cum Christo triumphantes. Oremus, ergo, ut perfectionem ardentissime desideremus, constantissime ad illam acquirendam operam demus, fortissime adversus internos externosque perfectionis nostrae inimicos pugnemus: regnet Deus in tota vita nostra, ut in aeternum ejus praesentia in coelis satiemur: ad melius servanda mandata, servemus et consilia: ut infernum securius vitemus, Purgatorii poenas tempestive spiritualibus exercitationibus solvamus, et levissimas culpas totis viribus fugiamus: uno verbo, simus (in quantum sustinet humana fragilitas) immaculati in via, ut celerius perveniamus ad patriam, praestante Jesu Duce et Redemptore nostro, et B. Maria V. Protectrice Oratriceque nostra apud Filium potentissima.

26. — *Utilitas Perfectionis quoad ipsum perfectionis studiosum.* Probatur ex majori salutis facilitate, ex splendidiori in coelis remuneratione, et aliis hucusque dictis. Teneto tamen:

I. *Perfectio est utilissima animae hominis viatoris.* Quia 1° perfectus quotidie acquirit vel adauget virtutes quae sunt bonae mentis qualitates, quibus anima purificatur et ornatur coram Deo, Angelis et Homnibus. — 2° Quia perfectio nobilitat memoriam assidua recordatione mysteriorum et misericordiarum coelestium...., intellectum frequenti contemplatione rerum altissimarum...., voluntatem dilectione vere diligibilium..., uno verbo: viri perfecti conversatio in coelis est, et omnia in coelum dirigit. Quid ergo animae dignius? quid utilius? Quam miseri e contra sunt homines, qui terrestribus quasi unice et principaliter in praxi adhaerent, tanquam si haberent hic manentem civitatem, nec futuram spectarent! — 3° Quia anima perfectorum opulentissima est veris abundans divitiis: « Vrae divitiae non opes sunt, « sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in « perpetuo dives sit » (*S. Bern.*). — 4° Quia perfectio est nutrimentum internae quietis, cum vir perfectionis studiosus majorem quotidie acquirat securitatem seu fiduciam firmamque spem de venia peccatorum anteactae vitae, de praesentibus auxiliis obtinendis, de futuris animae malis vitandis, deque majori remuneratione... Neque obstat quod devotus aliquando, Deo permittente, experiatur excessivum timorem, mentis offuscationem, scrupula, etc.; tunc enim magis

magisque solidatur in virtutibus per iteratos actus humilitatis, spei, conformitatis, etc.; estque dicendus vere beator in tribulatione, quam viri mundani et peccatores in terrena prosperitate, et si interdum videmus homines perfectos euntes et flentes, venientes tamen venient cum exultatione verae tranquillitatis in exilio, et magnae felicitatis in patria...

II. *Perfectio est utilissima verae hominis libertati.* — Quia 1° Sancti in coelo sunt liberrimi, cum non amplius peccare possint; nam, ut docet S. Bonavent.: « libertas perfecta est non posse peccare »: atqui perfecti totis viribus intendunt spirituali et corporali munimini contra peccati pericula, carnem frangentes, diabolum expugnantes, mundo contradicentes; ergo eo magis liberi quo magis perfecti. Viri perfecti possunt adhuc peccare, quia viatores, sed fortius armantur ad peccata repellenda. — Quia 2° homo christiane vivens et a fortiori vir perfectionis studiosus Deo optimo Liberatori adhaeret et in Deo qui eum confortat omnia potest, quidquid tentent animae inimici. Unde, dicendum cum S. Jo. Chrysost. (*Serm. de viv. et vit.*): « Quem bene vivere perspicies, et omnia ad divinum cultum referre intelliges, hic si innumeris etiam catenis obsitus fuerit, « si semper in carcere vixerit, si apud indignos servitutum tulerit, si pauper sepulchro sepultus combustusque fuerit, si denique, quidquid dici grave « potest, passus fuerit, hunc beatum, hunc felicem « dicere, hunc ad astra tollere memineris. »

III. *Perfectio est temporalis sanitatis adju-*

tum. — Quia corrigit excessus quibus tot infirmitates generantur; docet modum patienter tolerandi adversa, ne quaedam desperatio et intranquillitas et animae et corpori noceat. Imo et in ipsa infirmitate animum confortat et leviores reddit dolores: unde aegroti perfectionis asseclae sibimetipsis dicunt illud (S. Aug. tr. 7 *sup. Joan.*): « Quam multi aegrotant « in lecto innocentes, et si sani fuerint, procedunt « ad scelera committenda! »

27. — **Varia.** — I. « Christiani perfecti, qui « meruerunt ad gradum perfectionis pervenire, et regi « proximi fieri, Cruci Christi perpetuo consecrati « sunt » (S. Machar. *Ægyp. hom.* 17).

II. « Perfectionis gratia quanto melius agnoscitur, « tanto ardentius concupiscitur » (Rich. a S. Vict. p. 1, tr. 2, *de Exterm. mali*, c. 7).

III. « Ubi perfectio animi, ibi et inhabitatio Dei: « quanto ad perfectiones appropinquatur, tanto mens « arctius foederatur » (Id. p. I, *Allegor. taber.*).

IV. Heroicitas ad Canonizationem.

A) Viri sancti et perfecti in statu perfectionis explicato (i. e. in statu perfectionis proprie et stricte talis) dicuntur et sunt heroes christiani, quia, uti notat Aristoteles, 1, 6, *Eth.* c. 1, illi olim dicebantur heroes aut homines divini, qui ob virtutis excellentiam divini efficiuntur, quales apud Gentiles dicebantur Hector, Hercules, alique semidii ob quasdam virtutes morales, variis tamen vitiis deturpatas: cum e contra apud christianos, illi heroes vocentur, qui, juxta S. Thomam, S. 2, q. 52, a. 3, charitatis et

aliarum virtutum actus strenue ac modo superiori ad communem exercent; ideo S. Doctor talem heroicitatem donis Spiritus S. attribuit, quatenus per supervenientes novas et extraordinarias inspirationes aliquis movetur ad recte operandum super communem modum, quo alii justii operantur. Quo pacto etiam, q. 61, a. 5. Theologicam reddit illam aliam Plotini Philosophi Platonici doctrinam, qua virtutes dividit in politicas vel pure humanas et exemplares seu pure divinas, aliasque medias, quas vocat purgatorias, quae pertinent ad nondum perfectos, et alias purgati animi, quae sunt perfectorum, et 3, p. q. 7, a. 2 ad 2, ait: « Dicendum quod habitus ille heroicus vel divinus non differt a virtute quae communiter omnibus competat... Sicut etiam Plotinus posuit quemdam sublimem modum virtutum, quas « esse dixit animi purgati. »

B) QUID AD HEROICITATEM ET CANONIZATIONEM REQUIRITUR.

Ex hoc colligit P. Reguera in *Prax. Theol. Myst.*, cum Benedicto XIV in opere *de serv. Dei beatif.* l. 3, c. 21 et 22. 1° Quod nec ad perfectionem, nec ad canonizationem sufficiat vitae excellentia quae, utcumque sit supra vires naturae: quia hoc omni justo et actui supernaturali commune est, et non nisi late heroicitas dici potest: sed quae in ipso ordine supernaturali sit modus vivendi excellens; 2° Quod nec ut aliquis sit perfectus, nec ut sit canonizabilis, sufficiat quod sit perfectus, etiam cum heroicitate in uno vel altero actu, aut una vel altera virtute; quia

hoc etiam in incipiente, proficiente, imo etiam nondum justo reperiri potest; 3° Quod tam ut sit perfectus quam canonizabilis, requiratur quod ut plurimum perfecte operetur, maxime in charitate et virtutibus suae vocationi propriis, cum praeparatione animae ad actus reliquarum virtutum pro rerum opportunitate perfecte exercendos: quia in charitate principaliter sita est omnis perfectio et sanctitas, simul tamen cum universali ratione vivendi a ratione tepida et imperfecta omnino diversa; 4° Quod, qui sic operatur, possit dici heroice operari saltem in vitae cumulo: quia excedit modum communem operandi et saepe magis arduum est, sic continuo perfecte operari quam semel pati martyrrium; 5° Quod pro canonizatione non aliter in singulis et omnibus virtutibus heroicitas requiratur, nisi penes hunc modum frequentem perfecte operandi; quia perfectio evangelica et heroicitas Evangelica idem omnino sunt; 6° Interim tamen, ultra modo dicta, etiam ad canonizationem requiratur ut haec perfectio et heroicitas, quae coram Deo esse potest, coram Ecclesia probetur. Item ut canonizandus in aliqua saltem virtute ita singulariter sit perfectus, ut Ecclesiae velut specialissimum exemplar proponi possit, ut et perfectio usque ad ultimum perseveraverit; id quod miracula post obitum, quasi voces de coelo pro hac veritate clamantes, testari debent. Illud adhuc observandum, perfectionem et heroicitatem non esse mensurandam penes austeritatem et similia exteriora exercitia, quae nisi discretionem spiritus dirigantur,

etiam periculosa evadunt, uti notat S. Thomas, 2, 2, q. 188, a. 6. Nec requiritur ad actum heroicum, ut ejus materia spectet ad consilium: neque ab heroicitate excluduntur, quae fiunt ex praecepto, instituto vel voto: quia ad haec omnia quoad heroicitatem requisita concurrere possunt. Ita Schram, *Theol. Myst.*

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Honorate illam, peccatores; et impetrabit vobis gratiam et salutem. Super thus et balsamum orationis ejus incensum; preces ejus non revertuntur vacuae, nec inanes (S. Bonav., ps. 83).

Mariam invoca. — Quam dilecta tabernacula tua, Domina virtutum! quam amabilia tentoria requietionis tuae! (id. ib.). Ergo, Mater mea dilectissima, tu es refugium cordis mei, tu laetitia animae meae, tu via misericordiae et veniae, tu inventrix pacis et quietis.

Mariam laetifica. — Vanitatum hujus saeculi contemptu. Verae pietatis et sanctae perfectionis desiderio. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. II.

DE OBLIGATIONE TENDENDI AD PERFECTIONEM.

28. — Praenotandum. — « Si amore Dei tui
« succensus esses, certe doleres non modicum et eru-
« besceres in te ipso, tam benignissimo Deo tuo sic
« defectuose et pigre ministrare. Et quanto plus pro-
« ficeres, tanto amplius erubesceres et doleres, et
« nunquam cessares, sed semper majori ardore suc-
« census, majora reincipere conareris; nunquam certe
« de his et in his quae ad honorem Dei pertinent,
« tuus posset refici appetitus, semper enim cupidus,
« semper avidus, semper famelicus appareres » (S. Bo-
nav. *Stim. amor.* 2 p. c. 9).

ART. I. — De generali obligatione perfectionis.

29. — Obligatio in genere. — Ex dictis num. 18,
perfectio est *infima*, *media*, vel *superior*, prout ex-
cludit mortalia tantum, vel mortalia simul et venialia
plene deliberata, vel importat observantiam consi-
liorum, et opera supererogationis. Consilia autem
quorum observantia requiritur ad perfectionem pro-
prie talem, sunt illa quae propriae uniuscujusque
conditioni sunt proportionata. Haec autem consilia

inducunt ad vitandas imperfectiones, quae immediate
disponunt ad venialia et ad amplectendum omne
bonum et meliori modo ita ut homo semper faciat
quae magis placita sunt Deo. HINC:

I. *Omnes homines omnino tenentur ad perfe-
ctionem infimam.* — Quia 1° tenentur servare prae-
cepta gravia et vitare mortalia peccata: atqui id
tantum exigit perfectio infima... 2° tenentur ad per-
fectionis fundamentum quod est charitas. — Unde
perfectio infima est necessaria ad salutem. Notan-
dum tamen, quod mortaliter peccantes per excessum
vel per defectum, non committunt speciale peccatum
contra perfectionem infimam, diversum ab eo vel eis
ex violatis praeceptis provenientibus, ut patet. Quoad
praeceptum poenitentiae et charitatis, vid. *Theol.*
Moral.

II. *Omnes homines tenentur ad perfectionem me-
diam.* — Quia 1° tenentur non solum vitare mor-
talia, sed et venialia deliberato affectu commissa, ut
patet. — 2° Tenentur praeceptis divinis parere etiamsi
obligent sub levi. — 3° Venialia proxime disponunt
ad mortalia. Haec tamen obligatio est levis per se,
nec importat reatum leve diversum a praecepto per
leve peccatum violato. — Vid. in *Theol. Mor.* quando
veniale fit mortale ob periculum.

III. *Perfectio proprie dicta (seu stricte talis
sive superior) non obligat omnes homines.* — Quia
perfectio proprie dicta versatur circa consilia: atqui
consilia jam non essent consilia, si omnes obligarent;
ergo... Hinc merito docet S. Greg. Naz. quod in le-